GRATVLATORIA DICATA

Sereniſs. ac Potentiſs.

CAROLO REGI,

e *Caledone* ad *Trinobantes*
Suos reverſo.

Authore ALEX: GIL,
Londinate.

Virg.
——— *Nihil Illo triſte recepto.*

Excuſa Londini ſumptibus Ioh: Waterſon.
1641.

UMI

CAROLO *Reduci*—

QVo nihil in terris auguſtius aſpicit æther,
Salve, Rex inviĉte, precéſq; ac vota Tuorũ
Accipe, quo vultu *Fergufia* regna ſerenas,
Clavibus innumeris & vectibus ærea *Iani*
Limina, & ingentes occludens obice portas;
Dum paci ſtuduiſſe libet, dum palma curules
Negligit, & lauro termes præfertur olivæ:
Vſque adeò, ut triſtes populis inimica quietis
Quos *Ertis* ipſa metus, ac dudum moverat iras,
Iras, atque metus *Amneſtia* ſopiat omnes.
Hoc Tibi debebit pacata *Britannia* Princeps,
Quo nihil in terris divinius aſpicit æther.
Hæſerat in patriæ noſtræ cervicibus agmen
Scotigenûm, exq; uóque rubentem ſanguine *Tinam*
Viderat. Extemplò temeraria facta Senatus
Reprimit, & prudens nullos habitura triumphos
Bella vetat. Verùm, conſtant qua *Scotica* magno
Hoſpitia, & dives pretioſi vena metalli
Defluit ad *Boream*; tandem, cunctante Senatu,
Rex iter inſtituit. Properanti obſiſtere tentant

Conjugis amplexus, & Patrum provida cura
Dum Regi timuiſſe juvat. Rex ipſe timere
Neſcius, haud ullas voces tractabilis audit,
Propoſitíque tenax, quæcunque obſtare videntur,
Vota, preces, lacrymas, Rex amovet omnia ſolus,
Quo nihil in terris conſtantius aſpicit æther.
Longa decem populo tulerant faſtidia menſes;
Necdum Arctoa phalanx alienos liquerat agros.
Rex iter ingreditur, rapido velocior *Herme*,
Cùm tenues ventos, aut turbida nubila tranat.
Tendit in armatos ſolus, proh numina! ſacri
Tantus honor, tanta eſt juſti fiducia Sceptri,
Tantumque in propriâ Rex Majeſtate reponit.
Vtque ſoles poſito, *Neptune*, tricuſpide telo,
Cùm grave ſpirantes coëunt in prælia venti,
Et nigram glomerant hyemem, diſpellere nubes,
Et prohibere *Euros*, clarumque reducere ſolem:
Haud ſecùs inſolitos æſtus, populique tumultus,
Arma, minas, iras, Rex diſſipat omnia ſolus,
Quo nihil in terris animoſius aſpicit æther.
Poſtquam etenim Princeps *Northumbria* contigit arva,
Sidereíſque oculis denſa agmina circumſpexit;
Quis furor ô cives? inquit, quæ tanta libido
Ferri? quídve opus eſt tanto concurrere motu,
Quos DEVS in propriam voluit coaleſcere gentem?
Quò ſpectant gladii? quò belli fulmina? quorſum
Hinc acies, atque hinc acies adſtare *Britannas*,
Vibratoſque enſes in mutua pectora cerno?

Quòd

Quòd ſi tantus amor, rigidi vel copia *Martis*;
Tempus erit, veſtras cùm ſentiet *Auſtria* vires
Perfida, & injuſtâ gaudentes cæde *Sicambri*.
Interea juſſu Noſtro deponite ferrum;
Tuque prior, gelidæ ſedes cui junctior Arcto,
Projice tela manu, ſanguis meus. Ocyùs omnes
Demittunt clypeos, & ſacrum numen adorant.
Sic pius eloquio Rex temperat omnia ſolus,
Quo nihil in terris moderatius aſpicit æther.
Protinus ad *Twedam*, quà proxima meta viarum,
Deducunt Regem, ſequiturque exercitus omnis.
Et jam armata cohors ſunt Regia munimenta.
Tandem *Edinburgi* turres & mœnia victor
Celſa tenet, pacemque Suis optantibus affert.
Convocat extemplò Proceres, populumque frequentem
Ipſe, ſalus populi, cœlique potiſſima cura.
Qualis in æthereo regnans *Saturnius* orbe,
Celſior ipſe loco, diis conſiliantibus olim
Iura dabat, tacitique ſedebant undique divi:
Talis ſceptra tenens, ſolioque inſignis avito
CAROLVS Heroûm mentes & pectora mulcet.
Sic pius ingenio Rex ordinat omnia ſolus,
Quo nihil in terris prudentius aſpicit æther.
Iamque opere exacto, quoniam pax reddita terris,
Et vibrare manu crepitantia deſinit arma
Vtraque gens, (totumque iſtoc agnoſcimus omnes
Muneris eſſe Tui) quin & nova fœdera inire
Geſtit, ut unanimum Concordia firmet amorem;

Alitibus tandem fauſtis & Numine dextro
CARLE Redux, Pater *Angligenis* Princépſque vocari
Semper ames, trabeamque Tuáſque reſumere habenas.
Aſpice quæ coëant gentes, quos turba tumultus
Sæva ciet, violenta, ignara, infeſta quieti,
Dum ſacra diruere, & templis avertere Numen
Certatim ſatagunt: nec Te *Browniſtica* fallat
Larva, inimica DEO, Clero, Patriæque, Tibíque,
Quo nihil in terris ſublimius aſpicit æther.
Si fœda impietas ſtabulis confundere templa
Auſit, ut obſiſtat vero fanaticus error;
Hoc ſi *Brutigenûm* meruerunt pendere mores,
Ne pietate gravis, CHRISTI Regiſque ſatelles,
Sacra colens, ſacram tueatur Epiſcopus ædem;
Si nullam ſancta eſt habitura Eccleſia pacem;
Si nulla in terris regio, quà florent uſquam
Vera Fides; victum ſi Proteſtantibus omnem,
Et cultum, & libros, & opes, delubraque Puritanica turba negat: *Romam, Tiberímque, Padúmque*
Redde oro miſeris, iterumque revolvere mores
Da, Pater, *Auſonios Anglis*, cœlique DEIque
Quo nihil in terris reverentius aſpicit æther.
Sed meliùs populo DEVS, & cum Rege Senatus
Proſpiciet, ſolers utramque avertere peſtem.
Interea colat Hic Regem, ſed ſoſpitet Ille,
Ille, Suos ſancto qui chriſmate muniit Vnctos,
Et quotcunq; Tuum venerantur, CAROLE, ſceptrum,
Incolumi pia jam domino ſoteria mittant.

Quid

Quid quòd ego primus, cui Te nil triſte recepto,
Regis in occurſum Muſâ properante, dicârim
Quale mihi *Aonio* rediens a vertice carmen
Dictavit *Phœbo* notiſſima *Calliopea!*
Ille Tibi quoniam non diſplicuiſſe meretur,
Qui ſalvatricem labiis attingere dextram
Feſtinat; veniam des, Optime, Maxime Regum,
Quo nihil in terris clementius aſpicit æther.

———*Humillimè dedicavit*

A. G.